The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Ieronymus super Ysaiam lib. 2 (fol.77ra)

1. Honorabile uultu et consiliarium. greci poete laudabilis illa et admiranda sentencia est primum esse beatum qui per se sapiat. secundum qui sapientem audiat. qui autem utroque careat hunc inutilem esse tam sibi quam omnibus.

   Et honorabilem uultu et consiliarium.... Et Graeci poetae laudabilis illa et admiranda sententia est: *Primum esse beatum, qui per se sapiat; secundum, qui sapientem audiat*. Qui autem utroque careat, hunc inutilem esse, tam sibi, quam omnibus.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.45, ll.49, 53-57). cf. Is. 3:3; Hesiod, *Op. et dies*, 293 ff.

2. Non sum medicus. Non statim multitudinis acquiescamus iudicio sed electi in principatum nouerimus mensuram nostram. et humiliemur sub potenti manu dei. quia dominus superbis resistens humilibus dat graciam. quanti panes non habentes et uestimentum cum ipsi esuriant et nudi sint nec habeant spiritales cibos. neque christi tunicam integram seruarint aliis et alimoniam et uestimenta promittunt. et pleni uulneribus medicos iactant se esse.

   Et respondebit in die illa, dicens: non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque uestimentum; nolite constituere me principem populi.... Ergo non statim multitudinis acquiescamus iudicio, sed electi in principatum nouerimus mensuram nostram et humiliemur sub potenti manu Dei, quia Deus superbis resistens, humilibus dat gratiam. Quanti panem non habentes et uestimentum, cum ipsi esuriant et nudi sint, nec habeant spiritales cibos, neque Christi tunicam integram reseruarint, aliis et alimoniam et uestimenta promittunt; et pleni uulneribus, medicos esse se iactant.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.50, ll.1-3, 15-22). cf. Is. 3:7

3. Peccatum suum quasi non. secunda post naufragium tabula penitencia est. et consolacio miseriarum impietatem suam abscondere.

   Agnitio uultus eorum respondit eis; et peccatum suum quasi Sodoma praedicauerunt, nec absconderunt.... Secunda enim post naufragium tabula paenitentiae est et consolatio miseriarum, impietatem suam abscondere.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., pp.50-1, ll.3-5, 21-23). cf. Is. 3:9

4. Rapinam pauperis in domo uestra. ad nostros principes referri potest si atterant plebem sibi subiectam. et pauperes delinquentes publice. arguant atque confundant. diuitibus autem maiora peccantibus ne mutum quidem facere audeant.

   Rapina, ait, pauperis in domibus uestris.... Sed et ad nostros principes referri potest, si atterant subiectam sibi plebem et pauperes delinquentes publice arguant atque confundant, diuitibus autem peiora peccantibus ne mu quidem facere audeant.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.54, ll.14, 21-24). cf. Matt. 21:33-39

5. Et rapina pauperum in domibus eorum est. quando replent thesauros suos et ecclesie opibus abutuntur in delicias publicasque stipes que ad sustentationem pauperum date sunt uel sibi reseruant uel propinquis distribuunt. et alienam inopiam suas suorumque faciunt esse diuicias.

   Et rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos et Ecclesiae opibus abutuntur in delicias, publicasque stipes, quae ad sustentationem pauperum datae sunt, uel sibi reseruant, uel propinquis distribuunt et alienam inopiam suas suorumque faciunt esse diuitias.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.54, ll.24-29).

6. Expectaui ut faceret uuas et fecit labruscas pro labruscis quas nos uertimus in hebreo scriptum est busim quod aquila interpretatus est. caprias id est fructus pessimos. symachus acheam hoc est imperfectos lxx et theodocio spinas.

   Et exspectaui, ut faceret uuas et fecit labruscas. Pro labruscis, quas nos uertimus, in Hebraeo scriptum est busim, quod Aquila interpretatus est σαπρίας, id est, fructus pessimos. Symmachus ἀτελή, hoc est imperfectos: LXX et Theodotio spinas, quibus Iudaei Dominum coronaverant.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.65, ll.25-29). cf. Is. 5:4

7. Ve qui coniungitis domum ad domum. que est rabies cum tecta et agri ad depellendos ymbres et ad serendas fruges haberi debeant. ea habere cupere in quibus cunctis habitare non possis. et que colere non sufficias. alteriusque necessitatem tuam facere uoluptatem.

   Vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci.... Quae est enim rabies, cum tecta et agri ad depellendos imbres et ad serendas fruges haberi debeant, ea habere cupere, in quibus cunctis habitare non possis, et quae colere non sufficias; alteriusque necessitatem tuam facere uoluptatem?

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., pp.68-9, ll.1-2, 10-14). cf. Is. 5:8

8. Ve qui consurgitis ad ebrietatem sectandam. potest omnis anime perturbatio ebrietas appellari.

   Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad uesperam, ut uino aestuetis.... Potest iuxta altiorem intellegentiam, omnis animae perturbatio ebrietas appellari, quae concipitur de uino furoris draconum et de ueneno aspidum insanabili, quod nonnulli bibunt ab adolescentia usque ad senectutem, hoc est: de mane usque ad uesperam.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., pp.71-2, ll.1-3, 22-26). cf. Is. 5:11

9. Ve qui potentes estis ad bibendum uinum. qui possunt plurimum debent carere uiciis et maxime ira que furori proxima est. ne quanto plus possunt tanto amplius subiectis noceant.

   Vae qui potentes estis ad bibendum uinum, et uiri fortes ad miscendam siceram, id est ebrietatem.... Qui ergo possunt plurimum, debent carere uitiis et maxime ira, quae furori proxima est, ne quanto plus possint, tanto amplius subiectis noceant.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 2 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., pp.78-9, ll.1-3, 23-26). cf. Is. 5:22